



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

7. Julii. Virtus, & vita Sanctitas non tantùm apud Deum, sed & apud homines vel omnia possunt, vel multum. S. Ignat. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

pat. Si plura, quàm debes, velis, certè plura, quàm possis, noli.

Tu, ut alia omnia, uniformiter diffomiter age; plùs, & priùs in proprio, quàm extraneo subjecto producit ignis, tuo documento, ut te priùs, quàm alios perficias.

Quid prodest calefacere alios, te frigentes?

Malè alios quæris, te perdendo, te primùm in salutis, & perfectionis tuæ securitate immobilem fige, tum ad alias curas tuas extendere poteris.

Acus nautica ità tenaci affectu polo affigitur, ut quacunque navim ventus impellat, ab eo non deflectat. Si cor inter negotia sic Deo sit affixum, felices sumus operarii.

7. Julii.

Virtus, & vita Sanctitas non tantùm apud Deum, sed & apud homines vel omnia possunt, vel multum, S. Ignat. ibid.

UT Panthera feras odore, ferrum sympathiâ magnes; sic pietas exemplo affectus trahit; nec elogio, nec commendatione res eger, ubi virtus invitat, prona in sequelam rapiuntur corda.

Nunquam spectatur virtus, nisi cum fru

fructu. Nempe sol non aspicitur, quin illuminet; nec ignis aditur, quin calefaciat. Muta quidem, efficacissima tamen sanctitas est concio. Basiliscus visu nocet, vir perfectus prodest.

Modesta oris affabilitas, amabilis oculorum quies, elegans gestuum omnium temperies clavis est cordium, qua pectus etiam aheneum certiùs, quàm ullâ machinâ referatur.

Efficacior vox est operis quàm oris. Longa nempe via per præcepta, brevis per exempla. Certiùs finem obtinet, qui aptè ad persuadendum facit, quàm, qui dicit.

8. Julii.

Conatus conatu, consuetudine consuetudo, quasi clavus clavo, retundatur. S. Ignat. apud Maff.

Dura servitus consuetudinis! quæ non ferro, sed ferreâ vitii necessitate suos catenat; nec quidquam in humanis solet esse difficiliùs, quàm inolitæ consuetudinis tyrannis. Cave hujus funibus ligari.

Est tamen aliquid, quod longam, duramque consuetudinis catenam rumpat;

K

nempe